

64

Honoris & Memoriæ Tropæum,

*In obitu*

Fœminæ optimæ ac florentissimæ

# ANNAE CATHA- RINAE GISYTFZ- KIAE,

*Conjugis dulcissimæ,*

VIRI PRÆCLARISSIMI atq; DOCTISSIMI,  
DOMINI

# M. MARTINI BOEHMII,

GYMNAS. THORUN. P.P. MERITISSIMI,

*Ipsa Exequiarum Die,*

Anno MDCCX. Die XXXI. Jul.

*Devota mente ac manu erectum, lugentique Viduo,  
consolandi causa, traditum*

*Gymn. Thorun.*

Supremæ & Primæ Curiæ Auditoribus.



THORUNI,

Impressit JOANNES NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNASII TYPOGRAPNUS,

**I**Gnati longos nobis promittimus Annos  
Sortis venturæ, tempus & hora ruit.  
Nam quodcunque solet vesci vitalibus auris  
Labitur, atque brevi tempore cuncta cadunt.  
Scilicet ex illa qua primum nascimur hora  
Prorumpunt juncto vitaque morsque pede.  
Partem aliquam furtim qua se metitur, & ipsa  
De vita filo, quælibet hora rapit.  
Ite leves igitur pravorum in prædia curæ,  
Tristia dum luctu corda replere juvat.  
Quis neget hæc fieri mortalibus omnia fato,  
Jus etenim vitæ & corporis hujus habet.  
Certa dies igitur mortis, discrimina nulla,  
Injicit illa suas invida cuique manus.  
Quo magis hanc Tu securus repulisse putabis,  
Imminuisse magis tunc Tibi tela putas.  
Id PIA mortales cunctos Catharina docebit,  
Dum mortis, medio flore, subivit iter.  
Digna Viro fuerat, Natis, melioribus Annis,  
Carpit at eximum Parca rapace manu.  
Hinc Tibi damnosæ proh! Vir clarissime, curæ,  
Hinc restant questus, quæ mala multa trahunt.  
Nec tamen hæc doleas; felix, infame per orbis  
Qui velox potuit, transiisse salum.  
Svavia tranquillæ sunt illic oœia mentis,  
Tradita, queis tribuit Cœlica Regna DEUS.  
Ergo age magna nimis Dextræ confide Potenti,  
Agmina nulla mali, hoc præside, Teque prement.  
Tollite jam gelidos artus & reddite terræ:  
Mentem sed capiat curia summa Poli.  
Vos vero [utvoto hoc claudam] crudumq; dolorem  
Alloquiis relevem, protegat ipse DEVS  
Exhilaret sobolem, Patrem, dispendia flentem,  
Gaudia quo posthac, carpere mille queant.

Heu

**H**Eu mortem rapidam! sæcumque ferumque leonem;  
Per mare per terras & quo venit aura frementem.  
Quæ te causa movet nobis quod fata minaris  
Vermibus exiguis, falces flamasque cruentas!  
Cur inopina venis rapis ac inopina furenti  
Falce metens, cumulans tristi cum funere funus?  
Quos clivosa tegunt juga, quos convallia Tauri,  
Quos fovet Oceani regnum deducis ad umbras:  
Non dives tibi non pauper, juvenisque senexque  
Evadit, quosvis rua suscipit urna citatos,  
Quos terræ vastæ, quos æquora tuta tueruntur,  
Hi, Libitina, tuas sedes coguntur adire:  
Hospes tuque procax & formidabilis hostis;  
Magnos & parvos terres, nam fortibus æquas  
Imbelles populique duces, seniumque juventæ.  
Heus hominum sortem miseram! heu lacrymabile fatum!  
Sicut singentis figuli fictilia vase  
Perpetuò præceps comitatur fractio nexu;  
Sic homines æquo subito juvenesque senesque  
Præpopera subeunt, capiunt quoque morte quietem:  
Sunt velut in prato fulgens candelæ patente;  
Nam pereunt tenui Zephyro subeunte doloris:  
Ut flos in campis redolens ac umbra virentum  
Per nemorum saltus mutatur flamine fallax;  
Sic evanescit, sic aret vita caduca  
Qui se mortalem sentit, tolerare sinistros  
Casus & varium discrimin adire tenetur.  
Cur ergo Bœhmi, totus sine sanguine palles,  
Et fosso mœstas ducis de pectore voces?  
Quod Conjuræ tua chara tibi sua fata subivit,  
Mortalis fuerat solvit mortale tributum.  
Non fera mors illam, sed mortem vicerat illa;  
Nam vicit mundum, satanam, vicit mala cuncta.  
Et canit in cœlis augustos læta triumphos.  
Sed meritò doleas, tibi quod sublata corona est.

Auxili-

Auxilium occubuit, cuius ec dextra juvabat!  
Quis tibi deserto in rebus succurret acerbis,  
Et veniet querulos moesti lenire dolores?  
Lux tua secessit, studii quis lumina tradet,  
Et prælucebit pietatis luce pusillis?  
Gaudia conjugii vinciis periere solutis!  
Ædes ecce tuæ quam plenæ luctibus, atquæ  
Anxius exarsit soboli dolor ossibus orbæ!  
En dilecta Parens tumulo mandatur avaro!  
Quam Libitina domum tristem nunc optat habere?  
Jam fidum solem texit nebulosa tenebris  
Mortis luna, tegit dilectam terra parentem!  
Sed quorsum tandem scribendo penna vagatis!  
An placet in sobolis tantis hærere procellis  
Sollicitis? moestos hauris cur pectora luctus?  
Cesses afflictis magnos augere dolores,  
Cessa ploranti lacrymis torquere tepentes  
Vultus, & jucunda viro solatia fert.  
Ignoscas calamo, Vir docte ac clare, vaganti.  
Cur tanto tristis luctu tua pectora rumpis?  
Cur defles mortem? lacrymis conspergit vitam,  
Immergas vitam lacrymis tua tempora defle.  
Vita quid est? labor est & nil nisi vana cupido.  
Dulcis, amara dies, lux hæc, lux est mera crux trux.  
Ast quæ sœva malis mors est, savissima justis,  
Quos trahit ad cœlos augustis, crede, triumphis.  
Sic CATHARINA suos decantat carmine lato  
In cœlis festos complaudens ore triumphos:  
Prosperitas ANNAM tenet & dulcissima vita.  
Nunc, MARTINE, feros in plausum verte dolores,  
Vivere nec dubites & gratum ducere tempus.  
Non obiit, præxit tibi nunc dilecta marita.  
Funera quæso, lubens ejus deflenda sequaris,  
Donec ad astra sequi jubeat te summus JOVA.

Auditores primæ Classis.

3846